



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Inæqualitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

qui nobis ab Homero exemplar datus est, in quo quid virtus, & quid patientia posset, intueremur, idemq; laboriosus omnium Poetarum celebratione decantatur. Plato autem in Phædone tradit, eorum animas, qui popularem civilemque virtutem absque Philosophia, consuetudine exercitationeq; freti, exercuerint, in Formicas abire post obitum. Nam & ea quæ de Myrmidonibus narratur fabula, Theagenes eo quod super Ægina scribit opere, quem scriptorem Pindaricus interpres citat, Ægineas ait, olim in subterraneis speluncis habitasse, quamq; excavabant terram in cultum arborum egere solitos, mox fructus congestos introferre: unde à Formicarum similitudine nomen illis Myrmidonum accesserit. Sedenim de Myrmidonibus priscorum fabula est, ne Græci unquam nugari desinant, Joyem in Formicam mutatum Eurymedusam Archelai filiam compressisse, unde Myrmidon genitus ejus gentis caput.

*Fabula  
Myrmido-  
num, lib. 3.  
& Zetes hi-  
storia 123.  
septima  
obitudo.*

## PIETAS. CAP. IV.

*Mutua for-  
micarum  
officia.*

**R**Ecite autem & pietatem, quæque mutuo mortales mortalibus officia debent, per Formicam expresseris, si commeari eas in formicarium species, Formicæ alterius cadaver inferentes: prodiere ex cavo aliquas, factasq; obviam quasi consternatas retrocedere, bis idem terq; facitare, alias demum vermiculos ab inferiori loco, utpote redemptionis præmia, quibus cadaver redimant, convectare: alias vero tentare, si quæ dissectæ fuerint, ut partes committant, & cohære faciant, impellere etiam, ut quæ nihil intermittant, quo explorent, an per se demum redire queant. Quod si quis, ut Æliano teste Cleanthes inquit, animalia hæc rationis expertia contenderet, sola hujus rei contemplatio admiratione errorem emendare potest. Quantum vero pertinet ad victus convectionem, Petrarcha noster maluisse hæc de Ape potius, quam de Formica dici, ne furacitati adeo favere videremur. Nam & in fabulis est, formicas, quæ nunc sunt, homines aliquando fuisse agrestes, eodem ferme ingenio, quo reliqui fere omnes rustici damnantur, furaces scilicet & raptores, qui licet in id genus animalia fuerint transmutati, pristinum tamen convectandi prædas, & rapto vivendi morem obtinuerunt. Animadvertendus vero locus est Levitici cap. xxi. *Si fractum, si cicatricem habens*: ubi Septuaginta pro *Si fractum, Si formiculosum* reposuere, per quem loquendi modum hieroglyphicum scilicet interpretes eum intelligi volunt, qui cogitationem omnem in terrena & secularia negotia conserat, neq; pensi habeat quicquam nisi ut cibo potuq; saturet: quandoquidem hæc formicæ rum vita, ut quæ ventri apta sint & commoda undecunq; contrahant congregentque, ut notat Hesychius, illudq; Salomonis de quo superius, *Vade ad Formicam, opiger, & vias ejus considera*, ita intelligit, nempe, quia pigrum ignavumque ad negotia provocabat, non ut qualia Formica facit, rapto scilicet vivendo, faceret, sed ut laborem, diligentiam, providentiamq; ejus in rebus operibus amularetur.

## INÆQUALITAS. CAP. V.

*Morum  
dissimili-  
tudo.*

**S**unt qui collegas impares, aut inæqualitatem in moribus, in dignitatibus, in censu, & in omni denique vitæ colore significantes, Camelum & Formicam pingant, laboriosum utrumque animal, sed facie magnitudine, reliquoq; ingenio magnopere inter se dissident, ut nullis comparationis terminis circumscribi valeant. Apud Ægyptios, fateor, hieroglyphicum hoc non haberi, sed usitatissimi proverbii citatio, *μύρμηξ ἢ κάμηλος*, ne prætereatur, monet.

*Lucianus 1.  
epist. Satur.*

## OPULENTIA. CAP. VI.

**I**llud exploratum satis, opulentiam per Formicas significari, non tam apud Ægyptios, quam etiam apud Aruspices, sive de nostratibus, sive de Indicis intelligamus: quarum hæc quidem victui necessaria oppido congerunt, Indicæ aurum, & pretiosam supellectilem accumulunt: ut non immerito Formicaria bona de affluenti divitiarum copia dicantur, quam augures iis portendi asseverant, apud quos illa rem congerant: veluti Mida illi Phrygi, cum puer esset, dormienti Formicæ in os tritici grana congersere, ex quo ditissimum hunc fore ita prædictum est, ut evenit.

## MULTITUDO INFESTA. CAP. VII.

*Fatales  
Formicæ.*

**A**lioqui Formicæ, infestæ multitudinis signum apud Aruspices fuisse, ut quæ Neroni mortis appropinquantis præfagium attulerunt, qui sibi visus est per somnum pennatarum Formicarum multitudine oppleri. Nam & paulo post concitata in eum multitudo, mortem accelerare compulit. Ferales etiam fuisse Tiberio, quæ Serpentem ab eo in deliciis habitum adhuc viventem corrodere: nam